

/ Serenissime Princeps et Dux invictissime. Laetatus sum valde in his quae mihi scribere dignata est Serenissima Celsitudo Vestra. Debellatam audio tam brevi tempore integram, maximamque Provinciam, ut Serenitati Vestrae dicere liceat: Veni, vidi, vici. Utinam illud
5 cum Rege fortissimo, et Sanctissimo brevi de Bohemia dicere liceat eadem Serenitati Vestrae: Persequar inimicos meos, et comprehendam illos, et non convertar donec deficient, confringam illos, nec poterunt stare, cadent subptus pedes meos. Unum in votis habeo, ut Dux Saxoniae, qui cum tam catholicis, piisque Principibus Imperatorem Christianissimum strenue adjuvat et adversus Bohemos haereticos, et periu-
10 ros pugnat, lumen aliquando verae fidei aspiciat. Audivi enim a viris fide dignis, eum non odisse Pontificem maximum, ut alii Lutherani oderunt; et cum Episcopo Herbipolensi, et Bambergensi, viro optimo, et prudentissimo libenter versari. Utinam praemium hujus boni operis
15 esset donum verae fidei à Patre coelesti per Spiritum Sanctum illi inspiratum; ad quam rem perficiendam utilis fortasse esset opera Reverendi Patris Dominici Carmelitae discalceati, qui potens est in opere et sermone, et Serenissimae Celsitudini Vestrae bene notus. Haec duo si brevi audirem: Imperium Romanum omnino pacatum, et Sere-
20 nissimum Ducem Saxoniae ad fidem catholicam esse conversum, ego jam penè octogenarius senex, cum Simeone libenter canerem: Nunc dimittis servum tuum, Domine. Sed nolo pluribus molestus esse Serenissimo Domino meo, cui a Domino Deo nostro precor fructum uberem magnorum laborum, quos pro Ecclesia Dei, et sacro Imperio jamdudum fortiter to-
25 lerat. Romae die 10 Septemb. 1620.